propter virtutes quia bone sunt non propter aliquod commodum. Si vis igitur deum diligere non diligas eum amore simplicis complacentie quia illa dilectio est qua respectu omnium creaturarum quorum contemplacio delectat. nec diligatur tantum amore concupiscentie quia quicquid amatur amore concupiscentie ideo amatur quia proficuus est amor ille. Unde si volo quicquid amare amore concupiscentie propter me diligo et si concupisco alteri divitias propter ipsum diligo. talis autem dilectio non est pura. Nec diligamus deum amore tendentie ut diligatur propter aliud quia omne quod diligitur propter aliud minus diligitur quam id et non est dilectio pura. Sed est dilectio purissima scilicet dilectio amicicie qua diligitur deus quia in se est bonus. Ista dilectio preciosa est propter illud quod ipse deus in se est non propter aliquid aliud. Unde si ipsum diligis quia times dampnari vel in infernum ire non habes amorem amicicie purum. Si eciam diligis eum ut tibi det sanitatem divitias vel aliquod bonum temporale non habes illum purum amorem. Unde dico si eciam deberes dampnari adhuc propter bonum essenciale quod in eo est ipsum diligere debes. Tu dices quid de istis qui deo serviunt propter timorem pene et penitent propter timorem penarum. non quod per illa servicia peccent mortaliter nisi inquantum talia servicia fiunt in peccato mortali quia qui est in timore servili semper est in peccato mortali cum semper habeat voluntatem peccandi si timor pene non esset

Queritur qua de causa deus

permissive plagat homines. Respondetur quod ex octo de causis. primo ut ipse honoretur exemplum in evangelio Iohannis ubi dicitur de ceco nato. Preteriens Ihesus vidit hominem cecum a nativitate. Crisostomus curiose respexit eum ut discipulis suis inspiciendi tribueret et occasionem interogandi preberent. Et interogaverunt eum discipuli sui Rabi quis peccavit hic aut parentes eius ut cecus nasceretur. Crisostomus hoc dixit discipuli ampliantes qui credebant non esse penam nisi culpa. Respondit Ihesus Neque hic peccavit neque parentes eius sed ut manifestentur opera dei in illo scilicet non in ceco nato sed in illuminato. Etiam parentum peccatum habebat sed non in ipso peccato cecus natus erat. ipse habuit eciam peccatum scilicet originale. Sed quia honor dei debuit manifestari supplicio ceci numquam deus indiguit ad hoc de supplicio ceci. Respondet Crisostomus quod peccatum solum malum est. cecitas exterior non est mala. Secundo dico quod accidit plaga ex permissione divina quia ut homo recognoscat peccata et emendet et cum maiori devocione et amore bona opera faciat. psalmus Multiplicate sunt infirmitates eorum postea acceleraverunt. ut pateat dici debeat. Exemplum de eo in evangelio qui 38 annos habuit in infirmitate qui expectavit aque motum quem dominus sanavit et ei dixit Ecce sanus factus es. vide ne deterius tibi contingat. Tercio dico quod deus permittit plagari hominem propter hoc ut purificetur vel si est purus ut purior efficiatur et ut merita multiplicentur sicut iob quem in tota vita sua cor suum numquam reprehendit et tamen tanta sustinuit. similiter maria et multi alii sancti. Quarto eciam permittit plagari homines in odium peccati sicut legitur numeri de dathan et abyron quos vivos absorbuit terra. sic multi plagantur adhuc in terra propter peccata sua. sic eciam invenimus iumenta pueros et res plagatas in detestacionem peccati. quidam plagantur ut virtutes custodiant ut paulus.

Queritur utrum aliquis separatus

a deo finaliter per dampnacionem eternam possit deo quantum ad veritatem attribuere culpam seu causam talis separacionis. Similia materia sic proceda quod primo dicam aliqua sacre scripture dicta super que fundant aliqui se qui deo attribuunt talem dampnacionem et postea solvam ostendendo verum intellectum eorum illorum dictorum. Secundo ostendam quomodo deus iuste potest assumere unum hominem ad gaudium eternum alium non assumendo. Tercio quid ad hoc requiratur ut homo salvetur. De primo dico quod isti qui deo attribuunt culpam fundant se super dictum pauli apostoli qui dicit de deo Cuius vult miseretur et quem vult indurat. Ex quo igitur ut dicunt illi. Deus est omnibus sua misericordiam ostendit cui vult et cui non vult non miseretur. quis igitur poterit resistere ei. Et cum hoc adducunt illud de populo de pharaone rege cuius cor tantum induravit quod noluit dimittere populum transire per desertum ad terram promissionis. Consimiliter fundant se secundo super id augustini qui dicit in libro de predestinacione de iacob et esau qui simul nati de rebecca in mundum antequam aliquid boni vel mali egissent. unum dilexit scilicet iacob. alium vero non scilicet esau. Dicunt igitur isti. ex quo isti pueri pares fuerunt